Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 317

Quelle:
Copyright:



& hereticorum cauſas excluderent. — Fidocbuſa epiſcopus grecorum ſacrum earum ordinem compoſuit. Hieronimus conuertit eas. &c. Haec e Prooemio. Initium Epiſtolae I. eſt: *Jacobus. Cur a nomine iacobi incipit epiſtola? per metonomiam dicitur, oſtendens per inuentum inuentorem. Ut uina coronant, cum uaſa uini fecerint.* Sufficiunt haec, ut *Hilariaſter* iſte ad Seculum ſaltem VIII. amandetur, quo aevo nullus mihi notus *Hilarius*. Ad I. *Joh.* V. 7. 8. haec tantum notat: *Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant. id eſt incarnationis teſtimonium. Et tres unum ſunt. id eſt unus homo corpore & anima & ſpiritu conſiſtens.* Unde vides tractationem ejus brevibus *gloſſis* definiri, orthodoxis illis quidem, nusquam vero infelicioribus, quam ubi interpretationes hebraicas, vel graecas audet, v. g. *Epiſtola eſt eloquium, in latino tradita expoſitio. bieronimo dicente. epiſtolor. hoc eſt. expono. In hebrꝛo. Euphuma.*

II. *fol.* 49. p. 2. litera unciali *Incipiunt Expoſitiones Venerabilis Bedꝛ Presbiteri In VII. Epiſtolas Canonicas. Incipit Prologus. Jacobus, Petrus, Johannes, Judas ſeptem epiſtolas ediderunt. quas eccleſiaſtica conſuetudo catholicas, hoc eſt uniuerſales cognominat.* Dabo totum iſtud Prooemium; video enim illud *Bedae* editoribus *T. V. Colon. 1688. p. 673.* f. defuiſſe. *in quibus ideo prima epiſtola iacobi ponitur, quamuis in catalogo apoſtolorum priores ſoleant numerari petrus & iohannes, quia ipſe bieroſolimorum regendam ſuſcepit ecclęſiam, unde fons et origo evangelicꝛ predicationis incipiens per orbem diffuſa eſt uniuerſum, cuius cathedrꝛ dignitatem etiam paulus apoſtolus in eo nominando uenerans ait: iacobus cephas & iohannes, qui uidebantur columnas* (ſic) *eſſe; uel certe quia ipſe duodecim tribubus iſrael quꝛ primꝛ crediderunt. ſuam epiſtolam miſit, merito hæc prima poni debuit, merito petri ſecundꝛ, quia ipſe electis aduenis, qui grece dicuntur proſeliti, hoc eſt, eis ſcripſit, qui de gentilitate ad iudaiſmum, de iudaiſmo ad electionis euangelicꝛ gratiam conuerſi ſunt. Merito iohannis epiſtolꝛ tertio loco ſunt poſitꝛ, quia his ſcripſit ipſe, qui de gentibus crediderunt. cum nec natura nec profeſſione iudꝛi extitiſſent. Denique multi ſcriptorum ecclęſiaſticorum, in quibus eſt & ſanctus athanaſius alexandrinꝛ prꝛſul ecclęſiꝛ primam eius epiſtolam ſcriptam ad partos eſſe teſtantur. Merito iude ultima eſt poſita, qui quamuis et ipſe magnus, tribus tamen præcedentibus apoſtolis minor eſt. Uel quia iacobi prima eſt ſcripta epiſtola, deinde petri, poſt eas iohannis, ideo nunc-usque ordinem, quo ſcriptꝛ ſunt, retinentur* (ſic). *Conſtat enim, quia beatus iacobus triceſimo poſt paſſionem domini anno ſuum conſummauit martyrium, petrus triceſimo octauo, hoc eſt ultimo anno neronis paſſus eſt, et ipſe in ſecunda ſua ſcripſit epiſtola: Certus ſum quod uelox ſit depoſitio tabernaculi mei, ſecundum quod & dominus noſter ihęſus chriſtus ſignificauit mihi per reue-*